

115. *Putat, si reperiatur in libro monasterii, rem meam esse eidem traditam; aut in eo sint descriptæ solutiones canonum vel censuum, etc.* — Infertur proinde, quod si reperiatur in libro monasterii rem meam esse eidem traditam, ex hoc solo mihi præjudicium non inferatur: nisi ego consentiam, vel aliæ probationes suppetant. *Genova cit. lib. V, cap. 1, n. 2. et 9. post Matthæum de Afflictis decis. 864, n. 7. et alios. Item, si in libro monasterii sint descriptæ solutiones canonum, aut censuum, ex hoc solo non sequitur probatio census, aut emphyteusis. Abbas consil. 67. circa med., lib. II; Genova cit. cap. 1. n. 3; Cravetta d. tract. De antiq. tempor. § Quid in libro, n. 2, citans Ancharanum consil. 44 post med.; Joan. de Anania, consil. 84. et Paulum de Castro, consil. 105. lib. I. (ADNOTATIO V.)*

116. *Contraria quorundam sententia refertur.* — Fatendum quidem, quod Romanus consil. 127. circa princ. teneat, quod libris monasteriorum, et similium locorum, talem solutionem continentibus, plena sit adhibenda fides; per textum in l. *Census. ff. de Probat., etc. Ad audientiam de Præscript.* Cui sententiæ etiam favent Boerius decis. 105. n. 13. Parisius consil. 7. n. 4; Decius consil. 147. n. 14. pluresque alii, quos pro hæc sententia allegat *Genova cit. lib. V. cap. 1, n. 6.* qui tamen dictam Romani sententiam procedere aiunt concurrentibus aliis conjecturis. Ac Hyppolytus Riminal. consil. 506, n. 19. ubi docet, libris monasteriorum esse credendum, in quibus apparent solutiones factæ per plures ipsorum procuratores, et œconomos jam defunctos: quia non est verisimile, quod mori voluissent in peccato falsitatis.

117. *Quæ rejicitur, seu explicatur.* — Verum duo illa jura, per Romanum allegata, istud non convincunt: nam textus in d. l. *Census. ff. de Probat.* intelligitur in publicis instrumentis, receptis manu notarii, quæ habent fidem indubitam. *Cravetta cit. § Quid in libro, n. 9, post Felinum, et alios. Textus autem in d. c. Ad audientiam. de Præscript.* loquitur de publico archivio pontificio, non de privato monasteriorum et similium locorum. Nec multum urgent ceteri auctores, utpote qui vel loquuntur concurrentibus aliis adminiculis, seu conjecturis, ut dictum; vel commode possunt explicari, quod loquantur in factis antiquis, aut in aliis casibus illico afferendis, in quibus datam con-

clusionem esse limitandam, altro fatendum. Hinc

118. *Dantur certi casus, in quibus libri ex archivis monasteriorum, civitatum, etc., extracti, plene, vel quasi plene probant. Ut si monasterio, etc., competit jus publici archivii; aut libri illi sint scripti in forma publica.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio patitur nonnullas limitationes; danturque certi casus, in quibus libri ex archivis monasteriorum, civitatum, aut similium locorum extracti, plene, vel quasi plene probant. Et primo quidem id contingit, quando monasterio, principi, vel civitati, competunt jura imperii, ac regalium, sicque etiam jus publici archivii: nam tunc procedunt dicta superius n. 102. Idemque dicendum, quando libri illi sunt scripti in forma publica, aut inter scripturas publicas in loco publico ab hoc destinato, et per officiales publicos ad id deputatos custodiuntur: quia tunc etiam plene probant, juxta dicta num. 103. et seqq. et tradit Alexander consil. 187. n. 2. lib. VII. cum aliis pluribus. Sed hi duo casus sunt extra propositum nostrum.

119. *Vel quando libri ejusmodi communiter habentur pro authenticis, et in dubio ad eas recurri consuevit. Aut decreto principis sancitum est, ut eis plena fides adhibeatur.* — Secundo limitatur data conclusio, quando libri in archivio monasterii, vel civitatis, etc., assertati, communiter habentur pro authenticis, atque in dubio hactenus ad eos recurri consuevit: nam tunc antiqua consuetudo eisdem tribuit auctoritatem, sicque ipsis plena fides adhibetur. Alexander cit. consil. 187, n. 2, lib. VII; Cravetta loc. cit. n. 6. istud probans ex c. *Cum dilectis. 9. de Fide instrument.* juncta Glossa v. *Approbata.* et doctoribus ibid. *Genova cit. cap. 1, n. 30,* istud amplians ad decretum principis quo sancitur, ut talibus libris monasteriorum plena fides adhibeatur: intellige, nisi ex aliis gravibus causis contrarium videatur judici tenendum.

120. *Item in summis parvis: tunc enim datur plena fides libris monasteriorum, civitatum, etc. Istud extenditur ad libros rationum administratoris, et mercatorum.* — Tertio limitatur in parvis summis, seu quando agitur de modico præjudicio: tunc enim talibus libris monasteriorum, civitatum, etc., datur plena fides. *Cravetta cit. § Quid in libro, n. 4,* allegans Ancharanum consil. 44, n. 6. atque istud extendens ad libros rationum administratoris; nam ei creditur in summis parvis,

#### § IV. DE FIDE ARCHIVII, ATQUE SCRIPTURARUM IN EO REPERTARUM. 101

et verisimilibus cum juramento, si vivit: alias mors supplebit efficaciam juramenti. *Mascardus de Probat. concl. 977. n. 58.* istud a pari dicens de libris mercatorum, quibus standum est in postis minutis. *Genova cit. cap. 1, n. 20. allegans communem, atque amplius dicitur infra § 7. n. 208. 209. et 214.*

121. *Idem dicendum in factis antiquis: unde libri antiqui Ecclesiarum probant pro Ecclesia: præsertim, quando agitur de probandis finibus.* — Quarto limitatur in factis antiquis, præsertim hominum memoriam excedentibus: siquidem in antiquis universaliter, propter difficultatem, probationum, leviores probationes acceptantur, c. *Cum causam. 13. de Probat.* cum similibus. Unde, quod libri ecclesiarum antiqui, propter eorum antiquitatem, probent pro Ecclesia, textus est in d. c. *Cum causam.* juncta Glossa v. *Per libros antiquos de Probat.* ac notat Speculator tit. *de Probat. § Videndum. n. 12; Abbas consil. 74, n. 1, lib. I; Genova loc. cit. n. 14; Mascardus d. concl. 977. n. 57. allegans alios.* Atque istud vel maxime locum habet, quando agitur de probandis finibus, ac territorio: utpote de quibus in cit. c. *Cum causam. de Probat.* ex professo agitur.

122. *Idipsum procedit, quando ex libris monasterii constat de solutione decennali uniformi censuum: quia tunc solita solutio census recte probatur.* — Id ipsum procedit, quando ex libris monasterii clare constat de solutione decennali uniformi censuum: quia non est verisimile quod viri religiosi, vel procuratores ipsorum, longo tempore falso et fraudulenter annotassent factam ejusmodi solutionem; ac proinde, nisi aliunde forent suspecti, merito creditur ipsis etiam in præjudicium tertii, sive solventium, *Genova cit. lib. V. de Scriptura privata. cap. II. n. 11. et seqq., allegans Baldum in l. fin. n. 9. Sine censu vel reliquis, etc.* Ubi ait, solitam solutionem census recte probari per libros censuales continentes uniformem solutionem; nec ultra aliud inquirendum, si per decennium ita consuetum fuisse, scriptum legatur, nisi contrarium probetur: quia hic non quæritur, an talia bona sint monasterii, vel censualia, sed hoc supposito tantummodo tractatur, quid, et quantum sit præstari solitum.

123. *Quod si agatur de probando dominio, vel possessione, tunc requiritur majus tempus; et quale?* — Quod si vero agatur de probando dominio, vel possessione illius, tunc requiri-

tur majus tempus; videlicet tempus quadraginta annorum, si sermo sit de bonis Ecclesiæ, arg. c. *de quarta.* juncta Glossa ibid. v. *Quadrigenaria de Præscript.* et c. *Olim causam. 20, de Censib.; Mascardus de Probat. concl. 279. n. 1. et 2, allegans alios.* Quamquam in rebus privatorum sufficiant triginta anni, c. *Sanctorum.* juncta Glossa v. *Sincere de Præscript.* Mascardus loc. cit. n. 3; Jul. Clarus § *de Feudis.* quæst. 19; *Genova ubi supra cum aliis, quos citant.*

124. *Quando si agatur contra monasterium, tunc contra istud ex libris ejusdem plena fides induciitur.* — Quinto limitatur quando agitur contra ipsum monasterium: tunc enim contra istud ex ejusdem libris plena, et indubitata fides induciitur. *Abbas consil. 67. n. 2. vers. Nam ut apparet. lib. II; Cravetta cit. § Quid in libro, n. 6. post Ancharanum consil. 44; Engel h. t. n. 21; Genova cit. cap. 1. n. 29. cum aliis.* Nam generale est, quod scripturæ, seu instrumenta privata valeant in præjudicium illorum, qui ea scribunt, l. *Generaliter. c. De non numerat. pecun. licet non ad commodum eorum.* Glossa cap. II. v. *Authentica, h. t.*

125. *Idem dicendum, quando unus subditus tales libros, vel scripturas monasterii, allegat contra alium subditum ipsius.* — Sexto limitatur, quando unus subditus tales libros, seu scripturas monasterii, allegat contra alium subditum ipsius: tunc enim cessat omnis præsumptio fraudis, atque falsitatis, ob parem affectionem domini erga subditos suos, arg. l. *Non solum. § De uno. ff. de Ritu nuptiar.* sicque inde colligitur efficax probatio. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores proxime relatos videndæ, quibus accedant dicenda inferius § 7 *De libris Rationum, etc. n. 200. et seqq.*

126. *Libri parochorum non habentium speciale archivium, quam vim probandi habent? Quos libros parochus teneatur habere?* — Quæritur IV. Quam vim probandi habeant libri parochorum, cæteroquin non habentium speciale archivium? Ubi prænotandum, quod juxta præscriptum concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. et II. *de Reformat. matrim.* Parochus præcipue teneatur habere duos libros, videlicet baptismalem et matrimonialem. In priori tenetur diligenter inscribere nomina eorum, quos baptizat, simulque illorum, qui baptizatum de sacro fonte suscipiunt, necnon nomen patris et matris ipsius baptizati: ut imposterum tum ætas baptizati, tum

cognatio spiritualis ex baptismo suborta, inde probari valeat. In posteriori autem, sive in libro matrimoniali, tenetur parochus conjugum coram ipso contrahentium, et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describere, quem diligenter apud se custodiat. Præterea debet parochus habere librum, in quo describatur mors sepulorum in sua ecclesia: item librum, in quo continentur annotati redditus, jura et bona ecclesie suæ. Quo prænotato:

127. *Libri parochiales de quorundam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, plene probant.* — Resp. I. Libri parochiales de quorundam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia, plene probant. Ita Pax Jordanus tom. III. tit. de *Fide instrument.* n. 48. allegans Rotam decis. 321. n. 3. part. I. noviss. ubi resolvitur, sufficienter probari mortem alicujus ex libro parochi, in quo mortui adnotantur: quod a pari dicendum de baptismo, confirmatione, matrimonio, et similibus. Genova cit. lib. V. cap. II. quæst. 1 et 2. Mascardus de *Probat.* concl. 673. n. 1. et seqq. allegans plurimos alios. Ratio est, quia, licet liber parochialis non sit publicus, id est manu publici notarii cum debitis solemnitatibus juris conscriptus, nihilominus auctoritate sac. concilii Tridentini, industria, et fides parochi est electa ad conscribendum talem librum; ergo indubitanter fides tali libro est adhibenda. Alioquin enim frustra a generali concilio fuisset parochi impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem apud omnes publice faceret, et plene probaret. Intelligit, dummodo aliunde de opposito non constet, aut de errore doceatur: qua ratione etiam instrumentum publicum notarii impugnari posse, infra § 10. num. 293. 294. et 304. dicitur.

128. *Et qualiter probent libri parochiales, in quibus annotantur redditus, jura et bona Ecclesie suæ.* — Resp. II. Libri parochiales, in quibus annotantur redditus, jura et bona Ecclesie suæ, non aliter probant, ac libri et scripturæ quæ asservantur in archivis monasteriorum, de quibus proxime dictum est. Ratio disparitatis inter hos, et priores libros est: quia ex libro baptismali, matrimoniali et mortuali, nihil proprii commodi, atque emolumenti provenit parochi; unde tunc cessat ratio sinistrae suspicionis contra ipsum: secus dicendum de libris reddituum, etc.

utpote in quibus agitur de proprio commodo parochi. (ADNOTATIO VI.)

## § V

DE SCRIPTURIS PRIVATIS, EARUMQUE DIVISIONE, AUTHENTICATIONE, ET PROBATIONE: UBI ET DE COMPARATIONE LITTERARUM.

129. *Scripturæ privatæ, quæ? —* Quæritur I. Quid, et quotuplex sit scriptura privata? Resp. I. Scripturæ privatæ dicuntur, quæ a personis privatis fiunt, non autem a notario in forma solemniter sunt confectæ, nec alias publicam auctoritatem obtinent: ut dictum § 4. n. 6. et seqq.

130. *Triples est species earum.* — Resp. II. Triplex est species scripturarum privatarum videlicet apochæ, libri rationum, et epistolæ. Ita Bartolus in *Auth. At si contractus.* § *Ut igitur c. de Fide instrument.* Jason in *Repet. l. Admonendi.* n. 87. ff. de *Jurejurand.* Mascardus de *Probat.* quæst. 6. n. 26. et alii. Nec obstat, quod præter enumeratas etiam dentur antapochæ, syngraphæ, et inventaria privata. Nam ista commode ad unam prædictarum trium specierum reducantur: ubi patebit ex explicationibus singulorum.

131. *Apocha generatim, quid? —* « Apocha » generatim dicitur scriptura quæ datur a parte parti, ut inquit Bartolus, ubi supra. Et hac ratione complectitur sub se tum apocham specialius dictam, tum antapocham, et syngrapham.

132. *Apocha specialius accepta, quid? —* « Apocha » specialius accepta dicitur scriptura, seu chirographum creditoris, confitentis de recepta, sibi que per debitorem rite persoluta pecunia, aut alia re debita. Et hæc alio nomine vocatur *Quietantia* (vulgo *une Quittance*) de qua fit mentio in *l. Plures c. de Fide instrument.* ubi Glossa v. *Apochis.*, inquit: « Apocha est de receptis, puta: Confiteor me recepisse tantum, et a creditore fit et datur debitori. »

133. *Antapocha, ejusque utilitas.* — « Antapocha » e contra est de solutis: sive, est scriptura debitoris, in qua is confitetur, se tantum vel tantum solvisse nomine annui, v. g. census, seu pensionis. Glossa loc. cit. Utile siquidem est creditori, tales antapochas recipere, ut paratam habeat probationem juris sui, v. g. recipiendi ab altero tantum pro annuo censu, ne alter vel debitum successu temporis negare, vel præscriptio-

nem prætereque queat, arg. cit. *l. Plures c. de Fide instrument.*

134. *Syngrapha, quid? —* « Syngrapha, » latine *Conscriptio*, dicitur illa scriptura, quæ in alicujus rei fidem fit a pluribus, et utrique parti tradi solet. Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris.* v. *Syngrapha.* Sive, ut loquitur Calepinus, syngrapha est scriptura, seu schedula, quæ fit propria manu contrahentium, ad pactorum fidem. Unde patet, quod reducatur ad apocham generatim acceptam.

135. *Liber rationum, quid? —* « Liber rationum » est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis, et acceptis, sibi conficit. Sive, ut *l. Si quis ex argenteis.* § *Rationem.* ff. de *Ede. do.* dicitur: « Ratio (hoc est, liber rationum, ut explicat Glossa ibidem) est ultro citroque dandi accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa negotiatio. » Quod intellige, quando scripturæ hujusmodi reperiuntur in forma rationis, et non in aliqua tantum schedula, vel memoriali annotato: nam istud non meretur nomen *libri.* Et tales libri rationum communiter solent fieri a tutoribus, curatoribus, atque negotiorum alienorum gestoribus, sicut et a mercatoribus, et hujusmodi.

136. *Inventarium et epistola, quid? —* Porro ad librum rationum commode reducitur « Inventarium privatum, » utpote pariter sua sponte de rebus propriis confectum: ad hoc videlicet, ut imposterum sciatur, quantum eo tempore, vel die, quo scribebatur, in bonis suis contentum fuerit, epistola tandem est scriptura privata, quam quis alicui absentem mittit.

137. *Scriptura, sive instrumentum privatum adhuc tripliciter dividitur.* — Resp. III. Scriptura privata, sive instrumentum privatum, adhuc tripliciter dividitur: nam aliquando facit scripturam privatam tibi tantum, aliquando alii tantum, aliquando tibi et alii. Ita Speculator tit. de *Instrumentorum editione.* § *Nunc dicendum,* n. 4. estque in re communis.

138. *Scriptura privata tibi tantum facta, quæ? Hæc regulariter non probat in commodum scribentium.* — « Scriptura privata tibi tantum facta, » censetur illa, in qua quidpiam scriptum, sive annotatum habetur in tuum duntaxat commodum: ut puta, quod Titius tantum, vel tantum tibi debeat. Et hujusmodi scripturæ regulariter non probant in commodum scribentium: prout habetur expres-

sum in *l. Exemplo c. de Probat.* illis verbis: « Exemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit. Concordat textus in *l. ult. c. de Conveniend. fisci debitorib.* lib. X. ibi: « Iniquissimum esse perspeximus, ut sub propria annotationis manu unusquisque sibi faciat debitorem. » Ratio hujus clara est, quia alioquin aperiretur via plurimis fraudibus, ac injustitiis, si sola propria annotatione posset quis alium sibi debitorem esse convincere; sic enim posset quilibet perversus plurima in sui favorem, et aliorum præjudicium annotare. Accedit, quod privatæ scripturæ alicujus non plus debeat credi, quam vivæ voci ejusdem: sed si quis viva voce deponeret pro se nihil ei crederetur, *l. Omnibus. c. de Testib.* ergo.

139. *Adeo, ut etiam rationes defuncti, ad probationem sibi debitæ quantitatis solæ non sufficiant.* — Et hoc adeo verum est, ut quamvis nemo in extremis constitutus, præsumatur esse immemor suæ salutis: nihilominus « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus reperiuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis solæ non sufficiant. Ejusdem juris est, etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significaverit: » prout is ipsis verbis decisum habetur *l. Rationes. c. de Probat.* Quamquam in hac ipsa auctoritate bene sit ponderandum ly, « solæ non sufficiant: » etenim, quod concurrentibus aliis adminiculis scripturæ privatæ etiam probent in commodum scribentis, infra § seqq. n. 186. 187. et seqq. amplius declarabitur.

140. *Scriptura privata alteri tantum facta, quæ? Hæc regulariter plene probat contra scribentem.* — « Scriptura privata alteri tantum facta » dicitur ea, quam fecisti contra te in commodum alterius duntaxat: ut est apocha, in qua confiteris, te debere Titio centum ratione mutui, aut hujusmodi. Et tali scripturæ regulariter statur, pleneque ea probat contra scribentem; prout liquet ex *l. Publica Maxima* § fin. *Depositum*: atque amplius dicitur infra n. 170. 174. et seqq. afferendo simul quasdam hujus limitationes.

141. *Scriptura privata tibi et alteri facta, quæ? —* « Scriptura privata tibi et alteri facta » intelligitur, in qua agitur de commodum, et damno tam tuo quam alterius: ut est liber rationum, in quo habetur annotata ratio dati, et accepti; item liber censualis, ac hujusmodi. Et huic interdum creditur,